



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118634**

§. 17. Copiæ a Friderico ad Albæ Ducem Patrem suum adductæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

§. XVI.

Sæcul. XVI,  
A.C. 1568.

*Plena Albæ Ducis victoria prope  
Gemingam.*

Hujus victoriæ nuntium quantocius *Grotius de*  
Dux ad Philippum II, & Pium V. *reb. Belg. l.*  
Papam, necnon ad Monasteriensem Epi- *2. p. 30.*  
scopum transmiserat, ipse vero biduo  
Groningæ moratus Damum processit,  
cum autem in itinere lixæ, & calones  
Herorum suorum mortem in Arember-  
genfi clade interfectorum ulciscerentur,  
ac omnes pagos incenderent, ideo hac re  
irritati rustici quosdam ex iis compre-  
hensos ad Ludovicum Nassovium addu-  
xerunt, qui Italis, ac Belgis vitæ gra-  
tiam fecit: Hispanos autem pœnæ mi-  
litari subjecit: quod rursus tam gravi-  
ter tulere Hispani Legionis Sardicæ, ut  
spretis Ducum imperiis in domos ob-  
vias incendio tota regione sparso, nulli  
parcentes crudeliter defævierint, hujus  
tamen facinoris infamiam, ut Albanus  
Dux elueret, postea legionem exaucto-  
rabat, atque de incendiariis debitas  
pœnas poposcebat.

§. XVII.

*Copiæ a Friderico ad Albæ Ducem  
Patrem suum adductæ.*

Postquam Albæ Dux Groningam re- *Thuan. 8*  
vertebatur, ibidem arcem Antver- *Strad. l. 6,*  
pianæ

Sæcul. XVI.  
A.C. 1568.

pianæ haud absimilem construi curabat, jussis etiam Groningensibus, ut Grifium designatum jam pridem loci Episcopum, necnon pro Arembergio Meganum Comitem in hujus Provinciae Præfectum reciperent. His ita dispositis per Amstellodamum Trajectum ad Mosam venit, ubi obviam habuit Fridericum filium suum natu maximum, Oschæ Ducem, magnumque Calatrauzæ Ordinis Commendatorem, cum duobus millibus, & quingentis peditibus ab Hispania deportatis, regiaque pecunia, qua per plures menses militibus stipendia solverentur. Sub idem tempus Pater Friderico Filio suo pedestris agminis imperium committebat, ipse vero delectu habito in exercitu suo sex equitum, ac triginta peditum millia recensentibus, quibus peractis, ut populis terrorem incuteret, inconsiderati ardoris sui impetu abreptus, aut forte fundendi sanguinis aviditate incitatus Amstellodami nobilem foeminam octogennariam valde locupletem securi percussit, eoquod Præconem hæreticum domo recepisset. Eodem tempore in agro Juliacensi circa Dalemum oppidum, cum ibi magna hominum nondum armis instructorum multitudo, quasi sub Justo Soltio Villersio Belliduce ad nomen militiæ dandum confluxisset, ab

Hispanis copiis oppressa fuit, & eorum plures partim cæsi, partim dissipati misere perierunt. Sæcul. XVI.  
A.C. 1568.

§. XVIII.

*Oranii Principis excusatio apud Cæsarem ob delectum in Germania habitum.*

Interea Oranius, seu Arausionensis Princeps in Germania morabatur, ubi ad opem ferendam Protestantes Principes vehementer sollicitabat, quos etiam ad ejusmodi auxilia potenter incitabat nuntius de Egmontii, & Hornii Comitum supplicio, nam id hæretici ubique non sine execratione perceperunt: insuper eosdem ad opem ferendam induxit conceptum in Albæ Ducem odium, atque hoc Oranius Princeps dextre augere curabat edito libello, cui titulus: *Adversus Albæ Ducis tyrannidem liber*, quem etiam Princeps studiose per universam Germaniam, & Belgium disseminari jussit: quapropter Protestantes Principes validas ubique conscribebant copias, cum autem id a Cæsare nonnisi ægerrime ferri præsentiret Oranius Princeps, hinc ad eundem Oratores ablegabat, qui delectus per imperium habitos necessitate excusarent, eumque tanquam supremum Austriacæ familiæ in Germania Caput orarent, quatenus Belgii, a quo Ma-  
jores

*Thuan. l. c.*